



Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Theologicae De Charitate

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1683?]

Conclusio Prima. Omnis affectus aut amor est, aut procedit ex amore sive dilectione: alia est dilectio mansoria, alia transitoria. Hæc secundum Scripturam sacram non est propriè dicta Dilectio; secus ...

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10951907-2

C O N C L U S I O P R I M A.

Omnis affectus aut amor est , aut procedit ex amore sive dilectione : alia est dilectio manus , alia transitoria . Hec secundum Scripturam sacram non est propriè dicta .

Dilectio ; secus illa .

Ponens meum , inquit Aug. l. 13. Conf. cap. 9. amor meus , eò feror quocumque feror . Omnis namque voluntatis nostra affectus , si non sit amor , ex amore nascitur : siquidem idcirco quidpiam desideramus , quia istud amamus ; de illius possessione gaudemus , rursus quia illud amamus ; alia veluti mala odimus , fugimus ; & de illis , si nobis obvenerint , tristamur ; quia bona malis istis opposita amamus . Præterea quidquid speramus ex amore ipsius speramus ; & quidquid timemus , ex odio , adeoque iterum ex amore , nimisrum boni oppositi , timemus . Idem facile est ostendere in desperatione , audacia & ira , cum impossibile sit ut voluntas objectum qualemque prosequatur sine illius amore , vel ut istud aversetur , nisi ipsius contrarium diligat . Verissimum proinde est illud Salesii de amore Dei l. 1. c. 4. Cum enim amor sit prima & principalis affectio & propensio , & significans complacentia , quā ferimur in bonum , is certe procedit desiderium : quid enim desideratur , nisi quod & amat ? procedit delectationem , qui enim gaudium percipi posset in fruitione alicujus rei , nisi res illa amaretur ? idem procedit spem , quia nihil speratur , nisi quod diligitur : procedit etiam odium , quia non aliam ob causam odimus malum , quam ab amore quo prosequimur bonum . Quia reliqua affectiones ab amore procedunt , subinde etiam vocantur amor , non in sensu formalí , ut aint , sed in causalí ; secundum quem S. Aug. amor inhians habere quod amat , cupiditas est : id autem habens eoque fruens , latitia . Fugiens quod ei adversatur , timor est : idque si acciderit sentiens , tristitia est . de Civitate Dei l. 14. c. 7. Ex his omnibus patet quod homini Chriftiano nihil perinde cordi debeat esse , quam ut suus amor sit ordinatus : non enim faciunt bonos vel malos mores , nisi boni vel mali amores . Aug. Epist. 52. ad Macedon . Patet secundò quod prima cura Theologi debeat esse ut sam doctrinam tradat de amore . Amor sive dilectio adæquate dividitur in dilectionem mansoriam , id est , quā diligens manet , sive sifit in re amata illam propter se ipsam diligendo (hanc Aug. lib. 1. de doctr. Christiana cap. 4. fruitionem vocat , frui , inquit , est amore alicui rei inherere propter seipsum) & transitoriam , id est , quā diligens non manet , sive non sifit in re amata illam propter seipsum diligendo , sed per rem istam transit ad aliam propter quam priorem appetit . Rebus sic dilectis non frui , sed uti dicimus secundum phrasim Augustini . Nam loco ante citato : uti est , quod in usum venerii ad id quod amas obtinendum , referre . Transitoria hæc dilectio potest sine culpa esse de omnibus illis rebus quibus uti licet , adeoque etiam de rebus temporalibus & caducis , ac proinde etiam de illis quas S. Joan. in 1. ep. cap. 2. nomine mundi aut eorum quæ in mundo sunt intelligit , dum ait , nolite diligere mundum , neque ea quæ in mundo sunt . Ex quo consecutarium quod S. Joan. hic non intelligat dilectionem mundi transitoriam , sed solam mansoriam : atque ita hinc conficitur , quod secundum S. Joan. dilectio transitoria mundi aut eorum quæ in mundo sunt , non sit propriè dicta dilectio , sed sola mansoria : qui enim non diligens utitur , inquit Aug. lib. 5. cap. 16. contra Julianum , quasi non utens utitur , quia non ejus rei causa utitur , sed alterius quam diligens intuetur . Etenim cum Paulus dicat : qui utuntur hoc mundo , tamquam non utantur 1. Cor. 7. evidens est quod mundo uti , sive rem aliquam temporalem dilectione transitoria amare liceat . Sed hoc non est secundum phrasim Sacrae Scripturæ , mundum , aut ea quæ in mundo sunt diligere : nam quidquid propter aliud amare videaris , id plane amas quod amoris finis pertinet , non per quod tendit . Bern. de dil. Deo cap. 7.

CON-